

eximant mella. *Faetorem* mulierumque menses odere. Cum eximantur mella, apes abigi fumo utilissimum, 45  
ne irascantur aut ipsae auide uorent. Fumo crebriore  
et ignauia earum excitatur ad opera; nam nisi incu-  
bauere, fauos liuidos faciunt. Rursus fumo nimio  
inficiuntur, quando iniuriam celerrime sentiunt mella,  
uel minimo contactu roris acescentia. Et ob id inter  
genera seruatur quod acapnum uocant.

XVI. Fetus quonam modo progenerarent, magna 46  
inter eruditos et subtilis fuit quaestio : apium enim  
coitus uisus est numquam. Plures existimauere ore  
confinigi floribus compositis apte atque utiliter ; aliqui  
coitu unius, qui rex in quoque appelletur examine :  
hunc esse solum marem, praecipua magnitudine, ne  
fatiscat ; ideo fetum sine eo non edi, apesque reliquas  
tamquam marem feminas comitari, non tamquam  
ducem. Quam probabilem alias sententiam fucorum  
prouentus coarguit. Quae enim ratio, ut idem coitus  
<alios perfectos>, imperfectos generet alios ? Propior 47  
uero prior existimatio fieret, ni rursus alia difficultas  
occurreret : quippe nascuntur aliquando in extremis  
fauis apes grandiores, quae ceteras fugant. Oestrus  
uocatur hoc malum, quonam modo nascens, si ipsae  
fingunt ? Quod certum est, gallinarum modo incu- 48